

PAULINUS NOLENSIS

POEMATATA VARIA (1360 vers)

DUM ADHUC DEGERET IN SECCULO PAULINUS, GESTIDIO VOLUCRES MITTIT

P_1 v.1 Sume igitur pastas dumoso in rure volucres,
 2 quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,
 3 dum simili mentitur aves fallitque susurro,
 4 agmina viscatis suspendit credula virgis.
 5 Tunc referens tenuem non parvo munere praedam
 6 digerit aucupium tabulis : et primus opimis
 7 ordo nitet, sensim tenuatus ad ima tabellae.
 8 Ut minus offendat macies, praelata saginae
 9 gratia praeventos pingui iuvat alite visus.

IN SECCULO ADHUC AGENS EIDEM GESTIDIO MITTIT OSTREA

P_2 v.1 Pauperis ut placeat carum tibi munus amici,
 2 munera ne reputes, quae mittis ditia nobis.
 3 Nam tibi quid dignum referam pro piscibus illis,
 4 quos tibi vicinum locupleti gurgite litus
 5 suppeditat miros specie formaque diremptos ?
 6 At mihi vix alto vada per saxosa profundo
 7 rarus in obscura generatur sphondylus alga.
 8 Hinc te participans bis quinque et bis tibi ternas
 9 transmisi aequoreo redolentes nectare testas,
 10 quas viscus praedulce replet bicolore medulla.
 11 Oro libens sumas, nec vilia dedigneris,
 12 quae sunt parva modum magno metitus amore.

DE REGIBUS EX SUETONIO COLLECTIS (FRAGMENTUM)

P_3 v.1 Europamque, Asiamque duo vel maxima terrae
 2 membra, quibus Libyam dubie Sallustius addit
 3 Europae adjunctam, possit cum tertia dici,
 4 regnatas multis, quos fama oblitterat, et quos
 5 barbara Romanae non tradunt nomina linguae,
 6 Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
 7 et Caranum, Pellaea dedit qui nomina Regum,
 8 quique mages docuit mysteria vana Nechepsus ;
 9 et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

10 [DEEST]
 11 audax Icario qui fecit nomina ponto,
 12 et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces.

AD DEUM MATUTINA PRECATIO

P_4 v.1 Omnipotens genitor rerum, cui summa potestas,
 2 exaudi, si justa precor. Ne sit mihi tristis
 3 ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.
 4 Nec placeant aliena mihi, quin et mea prosint
 5 supplicibus nullusque habeat mihi vota nocendi
 6 aut habeat nocitura mihi. Male velle facultas
 7 nulla sit ac bene posse adsit tranquilla potestas,
 8 mens contenta suo nec turpi dedita lucro
 9 vincat corporeas casto bene conscia lecto
 10 inlecebras, turpesque jocos obscenaque dicta
 11 oderit illa nocens et multum grata malignis
 12 auribus effuso semper rea lingua veneno.
 13 Non obitu adfligar cujusquam aut funere crescam,
 14 invideam numquam cuiquam nec mentiar umquam.
 15 Adsit laeta domus epulisque adludat inemptis
 16 verna satur fidusque comes nitidusque minister,
 17 morigera et conjunx caraque ex conjuge nati.
 18 Moribus haec castis tribuit deus : hi sibi mores
 19 perpetuam spondent ventura in saecula vitam.

AD DEUM ALIA PRECATIO

P_5 v.1 Omnipotens quem mente colo, Pater unice rerum,
 2 ignorete malis, et nulli ignote piorum ;
 3 principio extremoque carens, antiquior aevo,
 4 quod fuit aut veniet : cujus formamque modumque
 5 nec mens complecti poterit, nec lingua profari :
 6 cernere quem solus, coramque audire jubentem
 7 fas habet, et patriam propter considerare dextram,
 8 ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis ;
 9 ipse Dei Verbum, Verbum Deus anticipator
 10 Mundi, quem facturus erat : generatus in illo
 11 tempore quo tempus nondum fuit : editus ante
 12 quam jubar et rutilus caelum illustravit Eous :
 13 quo sine nil actum, per quem facta omnia, cujus
 14 in caelo solium, cui subdita terra sedenti,
 15 et mare, et obscurae chaos insuperabile noctis,
 16 irrequies cuncta ipse movens, vegetator inertum ;
 17 non genito ex Genitore Deus, qui fraude superbi
 18 offensus populi gentes in regna vocavit :
 19 stirpis adoptivae meliore propage colendus.
 20 Cernere quem licuit proavis : quo Numine viso,
 21 et Patrem vidisse datum, contagia nostra
 22 qui tulit, et diri passus ludibria leti,
 23 esse iter aeternae docuit remeabile vitae.
 24 Nec solam remeare animam, sed corpore toto
 25 caelestes intrare plagas, et inane sepulcri
 26 arcanum vacuis adopertum linquere terris.

27 Nate Patris summi, nostroque salutifer aevo :
 28 virtutes patrias Genitor cui tradidit omnes,
 29 nil ex invidia retinens, plenusque datorum,
 30 pande viam precibus, patriasque haec perfer ad aures.
 31 Da Pater invictam contra omnia crimina mentem
 32 vipereumque nefas nocituri averte veneni :
 33 sit satis, antiquam serpens quod perdidit Evam,
 34 deceptumque adjunxit Adam. Nos sera nepotum
 35 semina, veridicis aetas praedicta prophetis
 36 vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis.
 37 Pande viam, qua me post vincula corporis aegri
 38 in sublime feram : puri qua lactea caeli
 39 semita ventosae superat vaga lumina lunae :
 40 qua proceres abiere pii, quaque integer olim
 41 raptus quadrijugo penetrat super aethera curru
 42 Elias, et solido cum corpore praevis Enoch.
 43 Da, Pater, aeterni speratam luminis auram,
 44 si lapides non juro deos, unumque verendi
 45 suspiciens altare sacri, libamina vitae
 46 intemerata fero : si te Dominique Deique
 47 unigeni cognosco Patrem, mixtumque duobus
 48 qui super aequoreas volitabat Spiritus undas.
 49 Da, Genitor, veniam, cruciataque pectora purga,
 50 si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
 51 quaero : nec arcanis numen conjecto sub extis.
 52 Si scelere abstineo, errori ipse obnoxius : et si
 53 opto magis, quam fido, bonus purusque probari,
 54 confessam dignare animam : si membra caduca
 55 exsecror, et tacitum si paenitet, altaque sensus
 56 formido excruciat, tormentaue sera gehennae
 57 anticipat, patiturque suos mens saucia manes.
 58 Da, Pater, haec nostro fieri rata vota precatu :
 59 nil metuum, cupiamque nihil : satis hoc rear esse,
 60 quod satis est : nil turpe velim, nec causa pudoris
 61 sim mihi : nec faciam cuiquam, quae tempore eodem
 62 nolim facta mihi : nec vero crimine laedar,
 63 nec maculer dubio : paulum distare videtur
 64 suspectus, vereque reus. Male posse facultas
 65 nulla sit, et bene posse adsit tranquilla potestas.
 66 Sim tenui victu atque habitu, sim carus amicis :
 67 et semper genitor sine vulnere nominis hujus.
 68 Non animo doleam, non corpore, cuncta quietis
 69 fungantur membra officiis : nec saucius ullis
 70 partibus amissum quidquam desideret usus.
 71 Pace fruar, securus agam, miracula terrae
 72 nulla putem : suprema mihi cum venerit hora,
 73 nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
 74 Purus ab occultis cum te indulgente videbor,
 75 omnia despiciam, fuerit cum sola voluptas
 76 iudicium sperare tuum : quod dum sua differt
 77 tempora, cunctaturque dies, procul exige saevum
 78 insidiatorem blandis erroribus anguem.
 79 Haec pia, sed maesto trepidantia vota reatu,
 80 Christe apud aeternum placabilis assere Patrem,
 81 Salvator, Deus ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
 82 Filius, et vero verum de lumine lumen,

83 Aeterno cum Patre manens, in secula regnans ;
 84 consona quem celebrat modulato carmine plebes,
 85 et responsuris ferit aera vocibus : Amen.

DE S. JOHANNE BAPTISTA CHRISTI PRECURSORE

P_6 v.1 Summe Pater rerum, caelique aeterna potestas,
 2 cum quo nostra salus, sanctorum gloria Christe,
 3 spiritus et Patri pariter Natoque cohaerens,
 4 qui mentes linguasque regis, viresque ministras,
 5 promeruit quas sola fides : cui plena potestas,
 6 brutis ingenium, vocemque infundere mutis,
 7 praesta Evangelico ductum de fonte Johannem,
 8 in nostra arenti decurrere carmina rivo.
 9 Ille quidem tantus, quantum potuit dare mundo,
 10 qui nasci talem nova per miracula jussit :
 11 sed licitum magnis tenues impendere curas,
 12 nec dedignantur vilem caelestia laudem :
 13 pars etiam meriti, meritum celebrare piorum :
 14 nec nova nunc, aut nostra canam : dixere prophetae
 15 cuncta prius, sanctique viri sermone soluto
 16 promissum exortum, vitam mortemque sacrarunt :
 17 si mors illa fuit, meruit quae sanguine caelum.
 18 Nos tantum modulis evolvere dicta canoris
 19 vovimus, et versu mentes laxare legentum :
 20 sic (nam magna licet parvis, antiqua novellis,
 21 perfecta indoctis conferre, aeterna caducis)
 22 inspirante Deo quidquid dixere priores,
 23 aptavit citharis nomen venerabile David,
 24 consona caelesti pangens modulamina plectro :
 25 nos quoque fas meminisse Dei, quamquam obsita multis
 26 pectora criminibus caelestem admittere sensum.
 27 Zacharias Syria quondam de gente sacerdos,
 28 credita solemniter curabat templa paratu.
 29 Vita viri, pietate, fide, gravitate, pudore,
 30 obsequio condigna Dei conjux huic alma
 31 Elisabeth prisca sanctorum stirpe virorum
 32 progenita, et tanto virtutibus aequa marito.
 33 Sed (quod in opprobrio matrum posuere priores
 34 prole carens, sterilem ducebat maesta senectam
 35 spemque omnem sobolis transacta excluserat aetas,
 36 forte sacrum sollemne Deo plebs cuncta ferebat,
 37 et plus antistes sacros adoleverat ignes,
 38 intima divinis decorans altaria flammis :
 39 ecce sacram propter caelestis nuntius aram
 40 adstitit, ac veste insignis, venerabilis ore,
 41 se caelo missum vultuque habituque probavit,
 42 tum sancta in tales laxavit pectora voces.
 43 Accipe, caelesti Domino dilecte sacerdos,
 44 aeterni mandata Dei, cui cura piorum
 45 perpetua est, jugis qui puro in pectore custos
 46 emeritum sanctis impendere scivit amorem.
 47 Ac primum : genus hic extincto semine non vult
 48 interiisse tuum, fecundaque viscera fecit
 49 conjugis, effeto quae jam cessabat in aevo.

50 Cur tamen addubitas, mortali tu quoque sensu,
 51 omnia posse Deum ? Sed credes, ille probabit.
 52 Nascetur dignus tanto sponsore beatus,
 53 perpetuusque puer, qui primo protinus aevo
 54 te major, sacras invicto in pectore vires
 55 auctoris dono plus quam genitoris habebit.
 56 Nec sane, nato quae prima vocabula ponas,
 57 arbitrii jurisque tui est : Deus ipse profecto,
 58 qui nasci jubet, hunc idem jubet esse Johannem.
 59 Nominis hic titulus, meritorum immensa propago,
 60 quae necdum genito potuit praenoscerere solus,
 61 qui dabit, et tanto tribuet tibi gaudia nato :
 62 nec vero tribuet tantum tibi, gloria parva est
 63 intra unam conclusa domum ; sed quantus ab ortu
 64 tenditur in serae finita crepuscula lucis,
 65 totus prole tua tecum laetabitur orbis.
 66 Quid mirum ? Cuncta vitiorum faece carebit,
 67 caelestem ducens sine labe et crimine vitam,
 68 vesano servans abstemia pectora vino,
 69 omniaque evitans malesuadi pocula succi.
 70 Cumque hominum generi vel post errata salutem
 71 spondeat, ab sancta quisquis renovabitur unda,
 72 ipse in se nihilum, quo purificetur, habebit.
 73 Ac ne plura tibi variis ambagibus edam,
 74 Eliae meritum doctus nescire sacerdos
 75 non potes, exosae qui mortis lege remissa,
 76 aeternam degit proprio cum corpore vitam,
 77 igneus excelsum quem vexit ad aethera currus,
 78 flammantum rapido nisu glomeratus equorum :
 79 hunc tuus aequabit meritorum stemmate natus,
 80 tantumdem et laudis simul et virtutis habebit.
 81 Ergo ad condignas tanto pro munere grates,
 82 ne dubiam suspende fidem, ne mota faventis
 83 ira Dei meritam statuatur post praemia poenam."
 84 Haec ait, et tenues elabatur ales in auras,
 85 fragrantemque sacro procul aera fundit odore.
 86 Diriguit trepida confusus mente sacerdos,
 87 ac dum promissum cunctantia corda volutant,
 88 dum se diffidit tantum meruisse favorem,
 89 ut summi sit cura Dei, dimissus ut alto
 90 nuntius e caelo, famulo tam clara referret
 91 a Domino mandata suo, ludique veretur,
 92 somniaque illa putat, mores dum parcius aequo
 93 aestimat ipse suos, nec se meruisse fatetur :
 94 infidum facit ipsa fides, dum credere dignum
 95 se non vult, poenas incredulitate meretur.
 96 Protinus adstricta est dubitanti lingua palato,
 97 et motus oblita sui, molitaque vocis,
 98 articulare sonum, pigro torpore cohaesit.
 99 Dumque cupit narrare suae miracula plebi,
 100 conatus frustra, defixo obmutuit ore.
 101 Maestus abit, versatque inclusa mente dolorem,
 102 et veniam erratis arcano in corde precatur.
 103 Quanta Dei pietas ! Quamque exorabile Numen !
 104 Paenituisse sat est. Rata qui dat, temporis ordo
 105 volvitur, et gravida (mirum) distenditur alvo

106 Elisabeth, sanctumque gerunt pia viscera pondus,
107 et venit effeto munus juvenile sub aevo.
108 Inde aliud, sanctus Gabriel, qui nuntius idem
109 Zachariae fuerat, multo majora volutans,
110 ad Mariam molitur iter, quae sponsa marito,
111 sed mage lecta Deo, mundi paritura salutem,
112 Virgo illibatum servabat casta pudorem :
113 cui postquam insignis caelesti forma decore
114 constitit ante oculos, vultus demissa pudicos,
115 tinxit suffuso rutilantes sanguine malas.
116 Ille ait : o toto quem solis circulus ambit,
117 quaeque fuere prius, quae sunt quae deinde sequentur
118 virginibus cunctis felicior orbe puella,
119 Magno lecta Deo, mater dicaris ut ejus,
120 cujus et ille pater ! Felix age concipe pondus,
121 impolluta viro, coituque immunis ab omni,
122 Verbo feta Dei : corpus tua viscera praestent
123 illi, qui caelum, terras, mare, sidera fecit :
124 qui semper fuit, et nunc est et tempore in omni
125 semper erit : mundi Dominus, lucisque creator,
126 et lux ipse poli per te mortalia membra
127 induet ; atque oculos hominum, coetusque subibit.
128 Imperturbatos tantarum in praemia laudum
129 tolle animos, dabit ille tibi viresque, fidemque,
130 qui voluit (nam cuncta regit, nutuque gubernat)
131 Filius esse tuus, Domini cum Filius esset."
132 Dixerat, et visus pariter terrasque reliquit,
133 assuetumque sibi facili petit aethera nisu.
134 Implentur praecepta Dei, creditque puella
135 protinus, atque auget meritum vitamque priorem
136 prompta fides : tacitis elementa latentia causis
137 divinum informant corpus, sacrandaque crescit
138 sarcina : caelestem Dominum pia confovet alvus.
139 Interea gravidam soboles, quamquam edita necdum,
140 instigat Mariam sanctam, ut progressa revisat
141 Elisabeth, longo quae jam venerabilis aevo,
142 dilectum Domino puerum paritura gerebat.
143 Auscultat nato genitrix, vis tanta fidei,
144 et quo jussa venit : movit materna Johannes
145 viscera, et implevit divino pectora sensu.
146 Jam vates, necdum genitus, conclusus in alvo,
147 jamque propheta prius gesta et ventura videbat.
148 Illa ubi concepto fulgentem lumine longe
149 conspexit Mariam, celeri procul incita gressu
150 obvia progreditur, venerataque brachia tendens,
151 "Salve, o mater, ait, Domini, salve pia virgo,
152 immunis thalami, coitusque ignara virilis,
153 sed paritura Deum : tanti fuit esse pudicam,
154 intactae ut ferres titulos, et praemia nuptae.
155 Cur mihi non merita, nec tanto munere dignae
156 officii defertur honos ? Cur gloria caeli,
157 in nostros delata Lares et vilia tecta,
158 obscuris tantum lumen penetralibus infert ?
159 Sed mitis placidusque suis cultoribus adsit,
160 praestet et hunc genitus, quem praestitit ante favorem."
161 Dixit, et amplexus ulnis circumdata junxit,

162 jamque Deum venerata, pio dedit oscula ventri.
163 Dic age nunc, Judaea nocens, et sanguine regis
164 commaculata tui, verbis si nulla priorum
165 est adhibenda fides, sacros si fallere vates
166 creditis, et Mosen ipsum, si fallere David
167 impia perversae putat inclementia gentis,
168 credite non genitis : materna clausus in alvo
169 quid videat, sancto matris docet ore Johannes.
170 Quis precor hunc docuit, quem casto viscere virgo
171 contineat, quantus maneat nova secula partus ?
172 Sed sanctis abstrusa patent, nec visa profanis.
173 Verum egressa modum latos petit orbita campos,
174 atque oblita mei procurrere longius audet.
175 Spero, erit ut possim firmato robore quondam
176 hoc quoque per spatium fortes agitare quadrigas.
177 Nunc coeptum repetamus iter : mortalia dicat
178 pagina mortalis : Dominum divina loquantur.
179 Jamque adeo exacto, quantum natura jubebat,
180 tempore, matura puer inclytus editur alvo,
181 et promissa Dei magna non credita poena
182 implet certa fides, et natus comprobat infans.
183 Conveniunt contingentes de more propinqui,
184 ut puer veterum de nomine ducta parentum
185 aptent collatis quaesita vocabula causis :
186 sed negat arbitrium cognatis esse relictum,
187 caelestis jussi per natum conscia mater.
188 Ergo placet dudum praeclusa voce silentem
189 consuluisse patrem, promendi sola facultas
190 indicii, quod lingua nequit, si littera signat.
191 Consulitur, sumit tabulas, scribitque Johannem.
192 Mirantur cuncti, nullumque habuisse priorum
193 praescriptum nomen recolunt de stirpe parentum.
194 Quantum sera fides valuit ! Quia dextra notavit
195 quod mens crediderat, peccati poena remissa est.
196 Solvuntur vincetae laxata repagula linguae.
197 Respondet jam voce senex, proditque propinquis,
198 tecta diu mandata Dei, spondetque futura,
199 dum transacta probat. Talem fore quis dubitaret,
200 quem Domini jussis, naturae lege remissa,
201 insolito exortu nasci potuisse videret ?
202 Exemplum cunctis celebrandum incredulitatis
203 ante oculos cunctis posuit, vel poena parentis,
204 vel venia : atque animis instat simul hinc metus, hinc spes.
205 Labitur interea cunarum tempus : in ipsis
206 exstat divini species manifesta vigoris.
207 Blanditiae, risusque silent, incertaque cessant
208 murmura : serietas lascivi praevia sensus,
209 jam tenera informat venturis moribus ora.
210 Inde ubi prima puer stabili vestigia nisu
211 fixerat, et certam signarent verba loquelam :
212 mos erat aut sancti dicta auscultare parentis,
213 aut antiquorum praeclara ediscere facta,
214 vel quas ipse Deus leges interprete Mose
215 condiderat, sacri quas servat pagina saxi.
216 Haec, et quae teneram firmarent cetera mentem,
217 tractabat recolens : neque enim ignorasse priora

218 credendus, dederat Dominus cui nosse futura.
 219 At postquam robur membris accessit ab aevo :
 220 (nam mens plena Deo tardos praevenerat annos :)
 221 illa sibi jam tum statuit discenda, docere
 222 quae nequeunt homines : simul effugienda ciborum,
 223 et potus, sanctae contagia noxia vitae.
 224 Tecta igitur sancti, quamquam immaculata, parentis
 225 deserit, ac turbas hominum, coetusque nocentes
 226 effugit, ac solas loca tendit ad invia terras,
 227 in queis se tantum mens impolluta videret,
 228 liberaque a curis sacra ad praecepta vacaret.
 229 Vestis erat curvi setis conserta cameli,
 230 contra luxuriam molles duraret ut artus,
 231 arceretque graves compuncto corpore somnos.
 232 Hunc vilis rigidos ad lumbos zona ligabat,
 233 praebebant victum facilem silvestria mella,
 234 pomaque, et incultis enatae cautibus herbae,
 235 arentemque sitim decurrens unda levabat.
 236 Quis locus hic vitiis ? Aditum quem prava cupido
 237 invenit haec inter sacra et penetralia mentis ?
 238 Quo peccet, qui nil cupiat ? Quo tendat iniqui
 239 in latebras sensus, quisquis non indiget ullo ?
 240 Sic primi vixere homines, mundoque recenti
 241 hos autor dederat ventura in secula mores ;
 242 inseruit donec sese malesuada voluptas,
 243 ac secum luxus, et amorem invexit habendi.
 244 Hinc odia, hinc lites, hinc fraus, hinc livor, et irae,
 245 caedes, arma, cruor, conflictus, proelia, mortes :
 246 hinc offensa Dei, quam tartara saeva piabunt.
 247 Verum ego cur nimium communes arguo culpas ;
 248 immemor ipse mei, quem non commissa gravare,
 249 sed veniam sperare decet ? Mirabimur immo
 250 rectius invictum, nullique imitabile prisca
 251 exemplum secli, transgressum humana labore,
 252 semideumque virum, qui labe immunis ab omni,
 253 cum sua tam saevis cruciarit corpora poenis,
 254 praescipsit quid nos vel post peccata deceret :
 255 at postquam invictam firmans per talia mentem,
 256 exegit largum tempus, statuitque reperta
 257 quae fuerant quaerenda, sibi vox edita caelo est :
 258 jam satis impensum spatii, dilecte propheta,
 259 quo tibi prodesse : tempus tibi quae data sentis,
 260 ut prosint aliis, et quae jam perdita, servent.
 261 Perge igitur sanctas puri Jordanis ad undas.
 262 Hic quicumque hominum vitae commissa prioris
 263 paenitet, et tandem sensu meliora volutat,
 264 ablue confessum : quisquis tibi mente fideli
 265 crediderit delere pio commissa lavacro,
 266 ille renatus erit, talis modo vita sequatur,
 267 quae probet ablutos vitam damnasse priorem.
 268 Paruit auditis famulanti mente Johannes,
 269 protinus et ripas jussi descendit ad amnis.
 270 Praedicat hic praecepta Dei sermone verendo,
 271 infunditque novam credentium in corda salutem.
 272 Diluit infusis credentium crimina lymphis,
 273 absolvitque metus hominum, poenasque remittit,

274 atque ignem restinguit aquis : oblivia suadet
 275 errorum, praestatque novae nova corpora vitae.
 276 O Pater, o hominum rerumque aeterne creator,
 277 quot gradibus parcit pietas tua ! Quis pater unquam
 278 sustinet erranti toties ignoscere nato ?
 279 Das genti sensum, quo vel bona vel mala noscant.
 280 Non satis : innectis servandae vincula legis,
 281 proponisque malis poenas, et praemia justis.
 282 Haec quoque quis sprevit ? Redeat quandoque libebit,
 283 in promptu venia est : sanctum patet ecce lavacrum,
 284 quod renovet vitam, veteresque oblitteret actus,
 285 quodque novos homines faciat. Quid quaerimus ultra ?
 286 Et tamen ulterior venia est : violaverit ullus
 287 hoc quoque polluto prolapsus corpore donum.
 288 Quamquam jam nimius longe processerit error,
 289 desinat, et redeat : cum se damnaverit ipse,
 290 absolvi meruit : si poenitet, irrita culpa est,
 291 o vere, quod ais, pondus leve, quodque cohaeret,
 292 suave jugum, toties homini cum ignoscitur uni,
 293 et tamen erramus, finis nec criminis ullus
 294 humano generi : sed crescit laus tua ; nam quo
 295 major culpa rei, parcentis gloria major.
 296 Grates ergo tibi referat mens omnis, et omnis
 297 Lingua canat, quantumque potest humana propago,
 298 si placuisse nequit, fieri vel grata laboret.
 299 Panditur immensum, si demus vela, profundum
 300 in laudes, Pater alme, tuas : sed conscia tanti
 301 mens oneris trepidat, propriasque haud inscia vires
 302 consulit, et dignis potius dicenda relinquit.
 303 Reddamur coeptis : opus hoc tibi, sancte Johannes,
 304 quo renoves puras abluto corpore mentes.
 305 Non haec prima dedit Domini sententia, qua te
 306 admonuit claram mittens per nubila vocem :
 307 secula multa prius sancti Deus ore locutus
 308 Isaiae vatis, veteris qui maximus aevi :
 309 mittam, ait, ante tuos oculos, o nate, ministrum,
 310 qui sentosarum purgans concreta viarum
 311 gressibus ille tuis, celsos subsidere montes,
 312 idem depressas faciet consurgere valles :
 313 diriget hic quae prava, et leniet aspera, dura
 314 molliet, et totum coget planescere mundum.
 315 Tune, precor, donum summi Patris, alme Johannes,
 316 cum Christo promissae venis, teque imputat ille
 317 qui misit natum ? Tune, o praedictae prophetis,
 318 nominis angelici tu participatus honore ?
 319 Per te prima Dei sese clementia profert :
 320 prima tibi dandae veniae permissa potestas :
 321 te cum multa novae peterent miracula plebis,
 322 de te Christus ait : concessum est visere talem,
 323 qualem nulla prius viderunt secula prophetam.
 324 Dico ego, qui solus quae gesta gerendaque novi,
 325 inter mortales dederit quos femina partus,
 326 quosque dabit sollemni hominum de more creatos,
 327 nullus erit possit qui se praeferre Johanni.
 328 Haec de te ille refert, qui quaelibet intima cordis
 329 humani, et cunctos seclorum ex ordine tractus

330 pervidet, ut quae sunt oculis subjecta videmus.

PARAPHRASIS PSALMI I

P_7 v.1 Beatus ille, qui procul vitam suam
 2 ab impiorum segregarit coetibus,
 3 et in via peccantium non manserit,
 4 nec in cathedra pestilenti sederit :
 5 sed corde toto fixus in legem Dei
 6 praecepta vitae nocte volvit et die,
 7 mentemque castis institutis excolit.
 8 Erit ille ut arbor quae propinqua flumini,
 9 humore ripae nutriente pascitur,
 10 suoque fructum plena reddet tempore,
 11 et, fronde numquam defluente, pervirens
 12 stabit perenni vividum lignum coma.
 13 Non haec iniquos prosequetur gloria,
 14 sed ut favillam pulveris ventus rapit,
 15 sic ira iniquos verret a vultu Dei.
 16 Idcirco tali dividuntur ordine
 17 hominum per orbem dissipatorum greges,
 18 ut judicandi non resurgant impii,
 19 qui denegarunt debitum cultum Deo,
 20 sed puniendi : nam suum crimen videns,
 21 non indigebit quaestione detegi,
 22 quoniam imminentem praeferent mortis notam,
 23 signum salutis non gerentes frontibus.
 24 Peccator autem, non et impius tamen,
 25 quae magna turba est, non resurget gloriae,
 26 verum resurget deputanda examini.
 27 Nec enim sedere cum piis iudex potest,
 28 causas suorum redditurus actuum,
 29 varieque gestis aut probandus, aut reus.
 30 Sine lege passim legis ignari cadent,
 31 in lege lapsus, lege iudicabitur.
 32 Opus per omne curret ignis arbiter,
 33 quod non cremarit flamma, sed probaverit,
 34 illud perenni praemio pensabitur.
 35 Qui concremanda gesserit, damnum feret,
 36 sed ipse salvus evolabit ignibus.
 37 Tamen subusti corporis signis miser
 38 vitam tenebit, non tenebit gloriam :
 39 quia carne victus, mente non versus tamen,
 40 etsi negarit debitam legi fidem,
 41 per multa saepe devolutus crimina :
 42 tamen fidei nomen aeternum gerens,
 43 numquam salutis exsulabit finibus.
 44 Idcirco cuncti nunc in isto seculo,
 45 dum currit aetas, et dies aevi patet,
 46 rectas agamus semitas firmo pede,
 47 nec deferamur lubrico latae viae,
 48 praestat per arctum dimicantes tramitem
 49 laboriosis introire nisibus.
 50 Vias bonorum laetus agnoscit Deus,
 51 at impiorum pronum iter delebitur.

PARAPHRASIS PSALMI II

P_8 v.1 Cur gentes fremuere, et inania cur meditati
 2 sunt populi ? Adstiterunt proceres cum regibus acti
 3 adversum Dominum et Christum, vesana ferentes.
 4 Vincula rumpamus, juga discutiamus eorum :
 5 qui manet aeterno totis moderamine caelis,
 6 irridebit eos, justaque loquetur in ira,
 7 terribilique minas verbo turbabit iniquos.
 8 Ast ego Rex ab eo parili ditione creatus,
 9 praeceptum Domini super alnum praedico Sion.
 10 Ipse ad me Dominus, Meus, inquit, filius es tu,
 11 teque hodie genui. Pete : sis mihi gentibus heres,
 12 et tua fundatur totis possessio terris.
 13 Ferrea virga tibi est, valido quia jure tumentes
 14 Orbe regis toto populos : ceu vasa recocto
 15 ficta luto frangens corda, ut meliora reformes.
 16 Et nunc ecce omnes stratis advertite, reges
 17 mentibus, et quicumque hominum famulantia corda
 18 iudicio regitis, rerumque tenetis habenas :
 19 deservite Deo trepidi, mixtoque fideles
 20 exsultate metu : fiat discordia concors,
 21 dissimiles socians affectus pectore in uno ;
 22 ne timor affligat mentes, vel gaudia solvant,
 23 si careant laeto, pavidi formidine leti.
 24 Discite justitiam, rectosque capessite mores,
 25 et justo trepidate Deo, gaudete benigno,
 26 nequando meritum Deus irascatur in orbem,
 27 vosque via justa juste pereatis abacti.
 28 Amodo jam resilire via properetis iniqua,
 29 ecce brevi, cum magna potentis inarserit ira,
 30 ventilet ut totum divino examine mundum,
 31 segreget et paleas igni, frumenta saluti :
 32 tunc omnes, quibus est in eo spes fida, beati.

PARAPHRASIS PSALMI CXXXVI

P_9 v.1 Sedimus ignotos dirae Babylonis ad amnes
 2 captivi, Judaea manus, miserabile flentes.
 3 Cum patrium memori traheremus pectore Sion,
 4 et meritum justa suspiraremus ab ira
 5 exsilium : lentis qua consita ripa salictis,
 6 hospitibus populis umbras praebebat amicas.
 7 Illic Assyriae mediis in moenibus urbis,
 8 obliti laetas per maesta silentia voces,
 9 de salicum ramis suspendimus organa nostra.
 10 Namque dabat nobis durum gravis ira dolorem,
 11 quod solita in sancto depromi cantica templo
 12 haec ad delicias sibi nos cantare jubebat
 13 impius ille, domo qui nos abduxerat, hostis.
 14 Ergone divinas laudes et carmina castis
 15 apta choris, inter sacra barbaras, foedaque busta.
 16 Inter et accensas funestis ignibus aras,

17 heu ! male de nostro laetis maerore, canemus ?
18 Deque pio ritu luxum faciemus iniquum,
19 mystica ad hostilem modulantes cantica ludum ?
20 Quo miseri nunc ore sacros cantabimus hymnos ?
21 Quo ve loco Babylon poscit sibi cantica Sion ?
22 Sed Domini carmen tellus aliena mereri
23 non capit, indignas sacra vox avertitur aures.
24 Si tamen ut captis dominus violentior instas,
25 et, si tantus amor, Sion pia noscere vobis
26 cantica, si pergis me cogere non tua fari,
27 et divina tibi quaenam sint cantica Sion,
28 accipe quid captae Deus ultor spondeat urbi.
29 Ne longum speres isto gaudere triumpho
30 impie ; quo sacrum prodi tibi praecipis hymnum :
31 ecce quis est hymnus Domini, quae cantica Sion :
32 si fuero oblitus mea moenia, te mea cura,
33 urbs Hierusalem, fiat mea non memor unquam
34 dextra mei, mea lingua meis et adhaereat arens
35 faucibus, aeterno nisi te complectar amore :
36 et nisi principio promissi in secula regni,
37 laetitiaeque meae primo reminiscar in anno,
38 te cunctis Hierusalem praeponere terris.
39 Esto memor tum prolis Edom, ut versa vice nostrum
40 aspiciat confusa diem, quo plebs tua claram
41 moenibus aeternis Hierusalem habitabit,
42 cui nunc gens oblita tui, crudele minatur
43 excidium, dicens : invisam funditus urbem
44 diruite et vacuate manu, vestigia donec
45 nulla relinquantur, muris ad inane redactis.
46 Infelix miserae Babylonis filia, felix
47 qui tibi pro nobis in nos tua gesta rependet.
48 Nec minus ille beatus erit, qui parva tenebit
49 et simul elidet solidae tua pignora petrae.
50 Si cupis extincta Babylonis stirpe beari,
51 in te ipso primis gliscentia crimina flammis
52 frange fide, jam propter adest petra Christus : in ipso
53 vipeream sobolem validis elide lacertis.
54 Nam Babylon nomen Confusio : filia cujus
55 est caro, peccatis mater : quae turba saluti
56 noxia, corporeis ducit mala semina fibris.
57 Haec vincenda tibi, si vis evincere mortem :
58 namque tuis tales inclusos ossibus hostes,
59 si permittantur crescendo assumere vires,
60 difficili vinces luctamine : praeripe parvos,
61 dum rudis ex utero cordis per pectora capta
62 reptat adhuc teneris vitiorum infantia membris :
63 quae nisi praecaveas, aucta virtute necabit
64 concordem vitiis animam terrena propago.
65 Ne parcas igitur talem mactare catervam.
66 Non tibi crimen erit, nocituram perdere gentem,
67 ultricemque malo perfundere sanguine petram :
68 gaudet enim justus, si concidat impia proles :
69 nam magis atque magis pius ista caede piatur,
70 si perimat peccata suis dominantia membris,
71 et fracta in Christo vitiorum plebe triumphet.

AUSONIO PAULINUS

P_10A v.1 Continuata meae durare silentia linguae
 2 te numquam tacito memoras placitamque latebris
 3 desidiam exprobras neglectaeque insuper addis
 4 crimen amicitiae formidatamque jugalem
 5 obicis et durum jacies in mea viscera versum.
 6 Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis
 7 admiscere velis, ceu melle absinthia, verbis.
 8 Cura mihi semper fuit et manet officiis te
 9 omnibus excolere, adfectu observare fideli.
 10 Non umquam tenui saltim tua gratia naevo
 11 conmaculata mihi est ; ipso te laedere vultu
 12 semper et incauta timui violare figura ;
 13 cumque tua accessi, venerans mea cautius ora
 14 composui et laeto formavi lumine frontem,
 15 ne qua vel a tacito contractam pectore nubem
 16 duceret in sanctum suspicio falsa parentem.
 17 Hoc mea te domus exemplo coluitque colitque
 18 inque tuum tantus nobis consensus amorem est,
 19 quantus et in Christum conexa mente colendum.
 20 Quis tua, quaeso, tuis obduxit pectora livor ?
 21 Quo rumore pium facilis tibi fama per aures
 22 inrupit pepulitque animum contraque vetustam
 23 experta pietate fidem nova vulnera movit,
 24 laederet ut natis placidum male suada parentem ?
 25 Set mihi non fictae mens conscia simplicitatis
 26 nec patris inculti pietas rea respuit omne
 27 inmeritum et falso perstringi crimine non fert,
 28 immunis vero : gravius violatur iniquo
 29 vulnere, tam tenera offensae, quam libera culpa.
 30 Discussisse jugum quereris me, quo tibi doctis
 31 junctus eram studiis. Hoc nec gestasse quidem me
 32 adsero. Namque pares subeunt juga : nemo valentes
 33 copulat infirmis neque sunt concordia frena,
 34 si sit compulsis mensura jugalibus inpar.
 35 Si vitulum tauro vel equum committis onagro ;
 36 si confers fulicas cynnis et aedona parrae,
 37 castaneis corulos ; aequas viburna cupressis ;
 38 me compone tibi : vix Tullius et Maro tecum
 39 sustineant aequale jugum. Si jungar amore,
 40 hoc tantum tibi me jactare audebo jugalem,
 41 quo modicus sociis magno contendit habenis.
 42 Dulcis amicitia aeterno mihi foedere tecum
 43 et paribus semper redamandi legibus aequat.
 44 Hoc nostra cervice jugum non scaeva resolvit
 45 fabula, non terris absentia longa diremit,
 46 nec perimet, toto licet abstrahar orbe vel aevo.
 47 Numquam animo divisus agam : prius ipsa recedet
 48 corpore vita meo, quam vester pectore vultus.

P_10B v.1 Ego te per omne quod datum mortalibus
 2 et destinatum saeculum est,
 3 claudente donec continebor corpore,
 4 discernar orbe quamlibet,
 5 nec orbe longe nec remotum lumine
 6 tenebo fibris insitum :
 7 videbo corde, mente complectar pia
 8 ubique praesentem mihi.
 9 Et cum solutus corporali carcere
 10 terraque provolavero,
 11 quo me locarit axe communis pater,
 12 illic quoque animo te geram ;
 13 neque finis idem, qui meo me corpore
 14 et amore laxabit tuo.
 15 Mens quippe, lapsis quae superstes artibus
 16 de stirpe durat caeliti,
 17 sensus necesse est simul et adfectus suos
 18 teneat aequae ut vitam suam,
 19 et ut mori, sic oblivisci non capit,
 20 perenne vivax et memor.

Vale domine illustris.

AUSONIO PAULINUS

P_10C v.1 Quarta redit duris haec jam messoribus aestas,
 2 et totiens cano bruma gelu rigit,
 3 ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore,
 4 nulla tua vidi scripta notata manu,
 5 ante salutifero felix quam charta libello
 6 dona negata diu multiplicata daret.
 7 Trina etenim vario florebat epistula textu,
 8 set numerosa triplex pagina carmen erat.
 9 Dulcia multimodis quaedam subamara querellis,
 10 anxia censurae miscuerat pietas.
 11 Sed mihi mite patris plus quam censoris acerbum
 12 sedit, et e blandis aspera penso animo.
 13 Ista suo regerenda loco tamen et graviore
 14 vindicis heroi sunt agitanda sono.
 15 Interea levior paucis praecurret iambus
 16 discreto referens mutua verba pede.
 17 Nunc elegi salvere jubent dictaque salute,
 18 ut fecere aliis orsa gradumque, silent.

AUSONIO PAULINUS

P_10D v.1 Quid abdicatas in meam curam, pater,
 2 redire Musas praecipis ?
 3 Negant Camenis nec patent Apollini
 4 dicata Christo pectora.
 5 Fuit ista quondam non ope, sed studio pari
 6 tecum mihi concordia,
 7 ciere surdum Delphica Phoebum specu,
 8 vocare Musas numina,

9 fandique munus munere indultum dei
10 petere e nemoribus aut jugis.
11 Nunc alia mentem vis agit, major deus,
12 aliosque mores postulat
13 sibi reposcens ab nomine munus suum,
14 vivamus ut vitae patri.
15 Vacare vanis, otio aut negotio,
16 et fabulosis litteris
17 vetat ; suis ut pareamus legibus
18 lucemque cernamus suam,
19 quam vis sophorum callida arsque rhetorum et
20 figmenta vatium nubilant,
21 qui corda falsis atque vanis imbuunt
22 tantumque linguas instruunt,
23 nihil adferentes, ut salutem conferant,
24 quod veritatem detegat.
25 Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
26 qui non tenent summae caput,
27 veri bonique fomitem et fontem deum,
28 quem nemo nisi in Christo videt ?
29 Hic veritatis lumen est, vitae via,
30 vis, mens, manus, virtus patris,
31 sol aequitatis, fons bonorum, flos dei,
32 natus deo, mundi sator,
33 mortalitatis vita nostrae et mors necis.
34 Magister hic virtutum,
35 deusque nobis atque pro nobis homo,
36 nos induendus induit,
37 aeterna jungens homines inter et deum
38 in utrumque se commercia.
39 Hic ergo nostris ut suum praccordiis
40 vibraverit caelo jubar,
41 abstergit aegrum corporis pigri situm
42 habitumque mentis innovat :
43 exhaurit omne, quod juvabat antea,
44 castae voluptatis vice,
45 totusque nostra jure domini vindicat
46 et corda et ora et tempora.
47 Se cogitari, intellegi, credi, legi,
48 se vult timeri et diligi.
49 Aestus inanes, quos movet vitae labor
50 praesentis aevi tramite,
51 abolet futura cum deo vitae fides.
52 Quae, quas videmur spernere,
53 non ut profanas abicit aut viles opes,
54 set ut magis caras monet
55 caelo reponi creditas Christo deo,
56 qui plura promisit datis,
57 contempta praesens vel mage deposita sibi
58 multo ut rependat faenore.
59 Sine fraude custos, aucta creditoribus
60 bonus aera reddet debitor
61 multaque spretam largior pecuniam
62 restituet usura deus.
63 Huic vacantem vel studentem et deditum,
64 in hoc reponentem omnia

65 ne quaeso segnem neve perversum putes
 66 nec crimineris impium.
 67 Pietas abesse Christiano qui potest ?
 68 Namque argumentum mutuuum est
 69 pietatis, esse Christianum, et impii,
 70 non esse Christo subditum.
 71 Hanc cum tenere discimus, possum tibi
 72 non exhibere, id est patri,
 73 cui cuncta sancta jura, cara nomina
 74 debere me voluit deus ?
 75 Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,
 76 linguae, togae, famae decus
 77 provectus, altus, institutus debeo,
 78 patrone, praeceptor, pater.
 79 Sed cur remotus tamdiu degam, arguis
 80 pioque motu irasceris.
 81 Conducit istud aut necesse est aut placet :
 82 veniale, quidquid horum, erit.
 83 Ignosce amanti, si geram quod expedit ;
 84 gratare, si vivam, ut libet.

AUSONIO PAULINUS

P_10E v.1 Defore me patriis tota trieteride terris
 2 atque alium legisse vagis erroribus orbem,
 3 culta prius vestrae oblitum consortia vitae,
 4 increpitas sanctis mota pietate querellis.
 5 Amplector patrio venerandos pectore motus
 6 et mihi gratandas salvis adfectibus iras.
 7 Set reditum inde meum, genitor, te poscere malletm,
 8 unde dari possit. Revocandum me tibi credam,
 9 cum steriles fundas non ad divina precatus,
 10 Castalidis supplex averso numine Musis ?
 11 Non his numinibus tibi me patriaeque reduces.
 12 Surda vocas et nulla rogas (levis hoc feret aura,
 13 quod datur in nihilum) sine numine nomina Musas.
 14 Inrita ventosae rapiunt haec vota procellae,
 15 quae non missa deo vacuis in nubibus haerent
 16 nec penetrant superi stellantem regis in aulam
 17 Si tibi cura mei reditus, illum adspice et ora,
 18 qui tonitru summi quatit ignea culmina caeli,
 19 qui trifido igne micat nec inania murmura miscet
 20 quique satis caelo soles largitur et imbres,
 21 qui super omne, quod est, vel in omni totus ubique,
 22 omnibus infuso rebus regit omnia Christo :
 23 quo mentes tenet atque movet, quo tempora nostra
 24 et loca disponit. Quod si contraria votis
 25 constituat nostri, prece deflectendus in illa est,
 26 quae volumus. Quid me accusas ? Si displicet actus
 27 quem gero agente deo, prius est : fiat reus auctor,
 28 cui placet aut formare meos aut vertere sensus.
 29 Nam mea si reputes, quae pristina, quae tibi nota,
 30 sponte fatebor eum modo me non esse, sub illo
 31 tempore qui fuerim, quo non perversus habebam
 32 et perversus eram falsi caligine cernens,

33 stulta dei sapiens et mortis pabula vivens.
34 Quo magis ignosci mihi fas, quia promptius ex hoc
35 agnosci datur a summo genitore novari,
36 quod non more meo geritur : non, arbitror, istic
37 confessus dicar mutatae in prava notandum
38 errorem mentis, quoniam sim sponte professus
39 me non mente mea vitam mutasse priorem.
40 Mens nova mi, fateor, mens non mea : non mea quondam,
41 set mea nunc auctore deo, qui, si quid in actu
42 ingeniove meo sua dignum ad munia vidit,
43 gratia prima tibi, tibi gloria debita cedit,
44 cujus praeceptis partum est, quod Christus amaret.
45 Quare gratandum magis est tibi, quam queritandum,
46 quod tuus ille, tuis studiis et moribus ortus,
47 Paulinus, cui te non infitiare parentem,
48 nec modo, cum credis perversum, sic mea verti
49 consilia, ut sim promeritus Christi fore, dum sum
50 Ausonii. Feret ille tuae sua praemia laudi
51 deque tua primum tibi deferet arbore fructum.
52 Unde, precor, meliora putes nec maxima perdas
53 praemia detestando tuis bona fontibus orta.
54 Non etenim mihi mens vaga, sed neque participantum
55 vita fugax hominum, Lyciae qua scribis in antris
56 Pegaseum vixisse equitem, licet avia multi
57 numine agente colant, clari velut ante sophorum
58 pro studiis musisque suis : ut nunc quoque, castis
59 qui Christum sumpsere animis, agitare frequentant,
60 non inopes animi neque de feritate legentes
61 desertis habitare locis ; sed in ardua versi
62 sidera spectantesque deum verique profunda
63 perspicere intenti de vanis libera curis
64 otia amant strepitumque fori rerumque tumultus
65 cunctaque divinis inimica negotia donis,
66 et Christi imperiis et amore salutis, abhorrent
67 speque fideque deum sponsa mercede sequuntur,
68 quam referet certus non desperantibus auctor,
69 si modo non vincant vacuis praesentia rebus,
70 quaeque videt spernat, quae non videt ut mereatur
71 secreta ignitus penetrans caelestia sensus.
72 Namque caduca patent nostris, aeterna negantur
73 visibus ; et nunc spe sequimur, quod mente videmus,
74 spernentes varias, rerum spectacula, formas
75 et male corporeos bona sollicitantia visus.
76 Attamen haec sedisse illis sententia visa est,
77 tota quibus jam lux patuit verique bonique,
78 venturi aeternum saeculi et praesentis inane.
79 At mihi, non eadem cui gloria, cur eadem sit
80 fama ? Fides voti par est, sed amoena colenti,
81 nunc etiam et blanda posito locupletis in acta
82 litoris, unde haec jam tam festinata locorum
83 invidia est ? Utinam justus me carpere livor
84 incipiat : Christi sub nomine probra placebunt.
85 Non patitur tenerum mens numine firma pudorem,
86 et laus hic contempta redit mihi iudice Christo.
87 Ne me igitur, venerande parens, his ut male versum
88 increpites studiis neque me vel conjuge carpas

89 vel mentis vitio : non anxia Bellerophontis
 90 mens est nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjunx.
 91 Nec mihi nunc patrii est, ut visa, oblivio caeli,
 92 qui summum suspecto patrem, quem qui colit unum,
 93 hic vere memor est caeli. Crede ergo, pater, nos
 94 nec caeli inmemores nec vivere mentis egentes,
 95 humanisque agitare locis. Studia ipsa piorum
 96 testantur mores hominum ; nec enim impia summum
 97 gens poterit novisse deum : sint multa locorum,
 98 multa hominum studiis inculta, expertia legum,
 99 quae regio agresti ritu caret ? Aut quid in istis
 100 improbitas aliena nocet ? Quod tu mihi vastos
 101 Vasconiae saltus et ninguida Pyrenaei
 102 obicis hospitia, in primo quasi limine fixus
 103 Hispanae regionis agam nec sit locus usquam
 104 rure vel urbe mihi, summum qua dives in orbem
 105 usque patet mersos spectans Hispania soles.
 106 Sed fuerit fortuna jugis habitasse latronum,
 107 num lare barbarico rigui mutatus in ipsos,
 108 inter quos habui, socia feritate colonos ?
 109 Non recipit mens pura malum neque levibus haerent
 110 inspersae fibris maculae : si Vascone saltu
 111 quisquis agit purus sceleris vitam, integer aequae
 112 nulla ab inhumano morum contagia ducit
 113 hospite. Sed mihi cur sit ab illo nomine crimen,
 114 qui diversa colo, ut colui, loca juncta superbis
 115 urbibus et laetis bominum celeberrima cultis ?
 116 Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris,
 117 cur non more meo potius formata ferinos
 118 poneret, in nostros migrans, gens barbara ritus ?
 119 Nam quod in eversis habitacula ponis Hibera
 120 urbibus et deserta tuo legis oppida versu
 121 montanamque mihi Calagorrim et Birbilim acutis
 122 pendentem scopulis collemque jacentis Hilerdae
 123 exprobras, velut his habitem laris exul et urbis
 124 extra hominum tecta atque vias ; an credis Hiberiae
 125 has telluris opes, Hispani nescius orbis,
 126 quo gravis ille poli sub pondere constitit Atlans,
 127 ultima nunc ejus mons portio metaque terrae,
 128 discludit bimarem celso qui vertice Calpen ?
 129 Birbilis huic tantum, Calagorris, Hilerda notantur,
 130 Caesarea est Augusta cui, Barcinus amoena
 131 et capite insigni despectans Tarraco pontum ?
 132 Quid numerem egregias terras et moenibus urbes,
 133 quas geminum felix Hispania tendit in aequor,
 134 qua Betis Oceanum Tyrrhenumque auget Hiberus,
 135 lataque distantis pelagi divortia complet,
 136 orbe suo finem ponens in limite mundi ?
 137 Anne tibi, o domine inlustris, si scribere sit mens,
 138 qua regione habites, placeat reticere nitentem
 139 Burdigalam et piceos malis describere Boios ?
 140 Cumque Marojalicis tua prodigis otia thermis
 141 inter et umbrosos donas tibi vivere lucos,
 142 laeta locis et mira colens habitacula tectis :
 143 nigrantesne casas et texta mapalia culmo
 144 dignaque pellitis habitas deserta Bigerris ?

145 Quique superba tuae contemnis moenia Romae
146 consul, arenosas non dedignare Vasatas ?
147 Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,
148 Raraunum Ausonias heu devenisse curules
149 conquerar, et trabeam veteri sordescere fano ;
150 quae tamen augusta Latiaris in urbe Quirini
151 Caesareas inter parili titulo palmatas
152 fulget inadtrito longum venerabilis auro,
153 florentem retinens meriti vivacis honorem.
154 Aut cum Lucani retineris culmine fundi,
155 aemula Romuleis habitans fastigia tectis,
156 materiam praebente loco, qui proxima signat,
157 in Condatino diceris degere vico ?
158 Multa jocos pateant, liceat quoque ludere fictis ;
159 sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
160 ludere blanditiis urentibus et male dulces
161 fermentare jocos satirae mordacis aceto
162 saepe poetarum, numquam decet esse parentum.
163 Namque fides pietasque petunt, ut, quod mala nectens
164 insinuat castis fama auribus, hoc bona voti
165 mens patris adfigi fixumque haerescere cordi
166 non sinat. Et vulgus scaevo rumore malignum
167 ante habitos mores, non semper flectere vitam
168 crimen habet : namque est laudi bene vertere. Cum me
169 inmutatum audis, studium officiumque require.
170 Si pravo rectum, si relligiosa profanis,
171 luxurie parcum, turpi mutatur honestum,
172 segnis, iners, obscurus ago, miserere sodalis
173 in mala perversi : blandum licet ira parentem
174 excitet, ut lapsum rectis instauret amicum
175 moribus et monitu reparet meliora severo.
176 At si forte itidem, quod legi et quod sequor, audis,
177 corda pio vovisse deo venerabile Christi
178 imperium docili pro credulitate sequentem,
179 persuasumque dei monitis aeterna parari
180 praemia mortali damnis praesentibus empta,
181 non reor id sancto sic displicuisse parenti,
182 mentis ut errorem credat sic vivere Christo,
183 ut Christus sanxit. Juvat hoc nec paenitet hujus
184 erroris. Stultus diversa sequentibus esse
185 nil moror, aeterno mea dum sententia regi
186 sit sapiens. Breve, quidquid homo est, homo corporis aegri,
187 temporis occidui et sine Christo pulvis et umbra :
188 quod probat aut damnat tanti est, quanti arbiter ipse.
189 Ipse obit atque illi suus est comitabilis error
190 cumque suo moriens sententia iudice transit.
191 Et nisi, dum tempus praesens datur, anxia nobis
192 cura sit ad domini praeceptum vivere Christi,
193 sera erit exutis homini querimonia membris,
194 dum levia humanae metuit convicia linguae,
195 non timuisse graves divini iudicis iras ;
196 quem patris aeterni solio dextraque sedentem,
197 omnibus impositum regem et labentibus annis
198 venturum, ut cunctas aequato examine gentes
199 iudicet et variis referat sua praemia gestis,
200 credo equidem et metuens studio properante laboro,

201 si qua datur, ne morte prius quam crimine solvar.
 202 Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris
 203 corda tremunt gestitque anima id jam cauta futuri,
 204 praemetuens, ne vincta aegris pro corpore curis
 205 ponderibusque gravis rerum, si forte recluso
 206 increpitet tuba vasta polo, non possit in auras
 207 regis ad occursum levibus se tollere pinnis,
 208 inter honora volans sanctorum milia caelo,
 209 qui per inane levis neque mundi conpede vinctos
 210 ardua in astra pedes facili molimine tollent
 211 et teneris vecti per sidera nubibus ibunt,
 212 caelestem ut medio venerentur in aere regem
 213 claraque adorato conjungant agmina Christo.
 214 Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris
 215 sopitum tenebris sterili deprendat in actu,
 216 tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
 217 Nam quid agam, lentis si, dum coniveo votis,
 218 Christus ab aetheria mihi proditus arce coruscet
 219 et, subitis domini caelo venientis aperto
 220 praestriatus radiis, obscurae tristia noctis
 221 suffugia inlato confusus lumine quaeram ?
 222 Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
 223 vel praesentis amor vitae rerumque voluptas
 224 curarumque labor, placuit praevertere casus
 225 proposito et curas finire superstite vita
 226 communemque adeo ventura in saecula rebus
 227 expectare trucem securo pectore mortem.
 228 Si placet hoc, gratare tui spe divite amici :
 229 **si contra est, Christo tantum me linque probari.**

AD NICETAM REDEUNTEM IN DACIAM

P_11 v.1 Jamne abis, et nos properans relinquis ?
 2 Quos tamen sola regione linquis,
 3 semper adnexa sine fine tecum
 4 mente futuros ?
 5 Jamne discedis revocante longe
 6 quam colis, terra ? Sed et hic resistis
 7 sancte Niceta : quoniam et profectum
 8 corde tenemus.
 9 I, memor nostri, remaneque vadens
 10 spiritu praesens, animis vicissim
 11 insitus nostris, trahe, ferque tecum
 12 quos geris in te.
 13 O nimis terra et populi beati !
 14 quos modo a nobis remeans adibis ;
 15 quos tuo accedens pede visitabit
 16 Christus et ore.
 17 Ibis Arctos procul usque Dacos,
 18 ibis Epiro gemina videndus,
 19 et per Aegaeos penetrabis aestus
 20 Thessalonicen.
 21 Appulis sed nunc via prima terris
 22 te vehet, longo spatiosa plano,

23 qua Canusino medicata flagrant
24 vellera fuco.
25 Ast ubi paulum via proferetur,
26 det, precor, mites tibi Christus aestus,
27 et levis spiret sine nube siccis
28 aura Calabris.
29 Sicut antiqui manibus prophetae
30 per sacramentum crucis, unda misso
31 dulcuit ligno, posuitque tristes
32 merra liquores ;
33 sic tibi caelum modo temperetur,
34 et levi sudo tenuatus aer,
35 flatibus puris placide salubres
36 spiret in auras.
37 Qui solet flatu gravis e palustri,
38 anguium tetros referens odores,
39 solvere in morbos tumefacta crasso
40 corpora vento.
41 Quem potens rerum Dominus fugari,
42 sive mutari jubeat : suoque
43 nunc sacerdoti bona sanitatis
44 flabra ministret.
45 Sicut Aegypto pereunte quondam
46 noctis et densae tenebris operta,
47 qua Dei vivi sacra gens agebat,
48 lux erat orbi.
49 Quae modo in toto species probatur
50 orbe, cum sanctae pia pars fidei
51 fulgeat Christo ; reliquos tenebris
52 obruat error.
53 Sic meo, qua se feret actus ora,
54 cuncta Nicetae Dominus secundet :
55 donec optato patriam vehatur
56 laetus ad urbem.
57 Perge, Niceta, bene qua recurris,
58 prosperos Christo comitante cursus,
59 quem tui dudum populi fatigant
60 nocte dieque.
61 Te reposcentes, ut ager levandis
62 cum satis imbrem sitit, utque molles
63 cum suas matres vituli represso
64 lacte requirunt.
65 Unde nos justis precibus tuorum,
66 qui suum recte repetunt parentem,
67 cogimur victo, licet inrepleti,
68 cedere voto.
69 Et quia spes jam rapitur tenendi,
70 urget affectus placitis favere :
71 jam vias illas licet oderimus
72 quae rapiunt te :
73 odimus quamvis, sed easdem amamus.
74 Odimus quod te retrahunt : amamus
75 quod tuum nobis procul attulerunt
76 cernere vultum.
77 Quas prius stringi superante amore,
78 nunc tibi sterni faciles precamur

79 praevio terris pelagoque summi
80 nomine Christi.
81 Qui tibi factis iter omne campis,
82 arduos montes reprimat, cavasque
83 impleat valles, salebras adaequet,
84 jungat hiatus.
85 Te per Hydruntum Lupiasque vectum,
86 innubae fratrum simul et sororum
87 ambient, uno Dominum canentes
88 ore catervae.
89 Quis mihi pennas daret ut columbae,
90 ut choris illis citus interesset :
91 qui Deum Christum duce te canentes
92 sidera pulsant ?
93 Sed licet pigro teneamur aegri
94 corporis nexu, tamen evolamus
95 mentibus post te, Dominoque tecum
96 dicimus hymnos.
97 Nam tuis intus simul implicati
98 sensibus, vel cum canis, ac precaris :
99 cum tua de te prece cumque voce
100 promimur et nos.
101 Inde jam terris subeunte ponto
102 Adriae stratus sinus obsequetur,
103 unde procumbet, zephyroque leni
104 vela tumescent.
105 Ibis illabens pelago jacenti,
106 et rate armata titulo salutis,
107 victor antemna crucis ibis, undis
108 tutus, et austris.
109 Navitae laeti solitum celeusma
110 concinent versis modulis in hymnos,
111 et piis ducent comites in aequor
112 vocibus auras.
113 Praecinet cunctis, tuba ceu resultans,
114 lingua Nicetae modulata Christum,
115 psallet aeternus citharista toto
116 aequore David
117 audient Amen tremefacta cete,
118 et sacerdotem Domino canentem
119 laeta lascivo procul admeabunt
120 monstra natatu.
121 Undique alludent patulo verentes
122 ore delphines, sine voce quamquam,
123 aemula humanis tamen eloquentur
124 gaudia linguis.
125 Nam Deo quid non sapit atque vivit,
126 cujus et verbo sata cuncta rerum ?
127 Hinc Dei laudem maris ima noscunt
128 mutaque clamant.
129 Testis est nobis veteris prophetae
130 bellua, ad nutum Domini profundo
131 excita, ut mersum caperet, deinceps
132 redderet haustum.
133 Sed modo ad nostrum ferus ipse vatem
134 auribus tantum pia devorabit

135 cantica : impastam saturabit alvum
 136 carmine pastus.
 137 Qua libet pergas iter, et per undas,
 138 perque tellurem, licet, et per hostes,
 139 ibis armatus galea salutis,
 140 vertice Christo.
 141 Advolet missus Raphael, ut olim
 142 Tobiae Medis ; ita prosequendo
 143 ipse Nicetae comes usque Dacos
 144 Angelus adsit.
 145 Ducat hunc aequae famulum suum dux
 146 ille, qui quondam profugum minacis
 147 fratris a vultu Deus in salutem
 148 duxit Iacob.
 149 Namque Niceta fugitivus aequae est ;
 150 quod semel fecit patriarcha, semper
 151 hic facit, mundo fugiens ad alti
 152 moenia caeli :
 153 et gradus illos, quibus ille vidit
 154 angelos versa vice commeantes,
 155 iste contendit superante nubes
 156 scandere vita :
 157 per crucis scalas properans in astra
 158 qua Deus nitens ad humum coruscis
 159 e thronis spectat varios labores,
 160 bellaque mentis.
 161 Tuque, Niceta, bene nominatus
 162 corporis victor, velut ille dictus
 163 Israel, summum quia vidit alto
 164 corde satorem,
 165 unde Nicetes meus approbatur
 166 Israelites sine fraude verus,
 167 qui Deum cernit solidae fidei
 168 lumine Christum.
 169 Hic Deus noster, via nostra semper,
 170 sit comes nobis, sit et antecessor :
 171 semitis lumen, pedibusque nostris
 172 sermo lucerna.
 173 Qua per obscuri vada caeca secli,
 174 luminis veri face dirigamur,
 175 donec optatos liceat salutis
 176 tangere portus,
 177 quos modo undosum petimus per aequor,
 178 dum vagae mentis fluitamus aestu :
 179 terreo, tamquam fragili carina,
 180 corpore vecti.
 181 Sed gubernaculo crucis hanc regente
 182 nunc ratem, in nobis pia vela cordis
 183 pandimus, Christo referente littus
 184 flamine dextro.
 185 Ergo dux idem modo prosequatur
 186 te via, qua nunc properas revertens
 187 ire Niceta, patrioque reddat
 188 limine tutum.
 189 Sed freto emenso superest viarum
 190 rursus in terra labor, ut veharis

191 usque felices, quibus es sacerdos
192 praestitus oras.
193 Tu Philippaeos Macedum per agros
194 per Tomitanam gradieris urbem,
195 ibis et Scupos patriae propinquos
196 Dardanus hospes.
197 O quibus jam tunc resonabit illa
198 gaudiis tellus ubi tu rigentes
199 edoces Christo fera colla miti
200 subdere gentes !
201 Quaque Riphaeis Boreas in oris
202 alligat densis fluvios pruinis,
203 hic gelu mentes rigidas superno
204 igne resolves.
205 Nam simul terris animisque duri,
206 et sua Bessi nive duriores,
207 nunc oves facti duce te gregantur
208 pacis in aulam.
209 Quasque cervices dare servituti,
210 semper a bello indomiti negarunt,
211 nunc iugo veri domini subactas
212 sternere gaudent.
213 Nunc magis dives pretio laboris
214 Bessus exsultat : quod humi manumque
215 ante quaerebat, modo mente caelo
216 colligit aurum.
217 O vices rerum ! Bene versa forma !
218 Invi montes prius, et cruenti,
219 nunc tegunt versos monachis latrones
220 pacis alumnos.
221 Sanguinis quondam, modo terra vitae est,
222 vertitur caelo pia vis latronum,
223 et favet Christus supera occupanti
224 regna rapinae.
225 Mos ubi quondam fuerat ferarum,
226 nunc ibi ritus viget angelorum :
227 et latet justus, quibus ipse latro
228 vixit in antris.
229 Praeda fit Sanctis vetus ille praedo,
230 et gamit versis homicida damnis :
231 jure nudatus, spoliante Christo,
232 criminis armis.
233 Interit casu satanae vicissim
234 invidus Cain, redivivus Abel
235 pascit effusi pretio redemptos
236 sanguinis agnos
237 euge, Niceta, bone serve Christi,
238 qui tibi donat lapides in astra
239 vertere, et vivis sacra templa saxis.
240 aedificare.
241 Avios saltus, juga vasta lustras,
242 dum viam quaeris, sterilemque silvam
243 mentis incultae superans in agros
244 vertis opimos.
245 Te patrem dicit plaga tota Borrae
246 ad tuos fatus Scytha mitigatur,

247 et sui discors fera te magistro
248 pectora ponit.
249 Et Getae currunt, et uterque Dacus :
250 qui colit terrae medio, vel ille
251 divitis multo bove pilleatus
252 accola ripae.
253 De lupis hoc est vitulos creare,
254 et bovi junctum palea leonem
255 pascere, et tutis cava viperarum
256 pandere parvis.
257 Namque mansueto pecori coire
258 bestias pulsa feritate suades,
259 qui feras mentes hominum polito
260 imbuis ore.
261 Orbis in muta regione per te
262 barbari discunt resonare Christum
263 corde Romano, placidamque casti
264 vivere pacem.
265 Sic tuo mitis lupus est ovili,
266 pascitur concors vitulas leoni,
267 parvus extracto trucibus cavernis
268 aspide ludit.
269 Callidos auri legulos in aurum
270 vertis, et Bessos imitaris ipse,
271 e quibus vivum fodiente verbo
272 eruis aurum :
273 has opes condens Domino parenni,
274 his sacrum lucris cumulans talentum,
275 audies : intra Domini perennis
276 gaudia laetus.
277 His, precor, cum te domus alma sancto
278 ceperit fratrum numerosa coetu
279 in choris, et nos pietate cari
280 pectoris abde.
281 Nam Deo grates, quod amore tanto
282 nos tibi adstrinxit per operta vincla,
283 vis ut internam valeat catenam
284 rumpere nulla.
285 Unde complexi sine fine carum
286 pectus, haeremus laqueo fideli ;
287 quaque contendas, comites erimus
288 mente sequaci.
289 Caritas Christi bene fusa caelo,
290 cordibus nostris ita nectit intus,
291 ut nec abjuncto procul auferamur
292 orbe remoti :
293 nulla nos aetas tibi labis unquam,
294 orbis aut alter, neque mors revellet ;
295 corporis vita moriente, vita
296 vivet amoris.
297 Dum graves istos habitamus artus,
298 mente te semper memori colemus :
299 tu petes simus simul in perenni
300 tempore tecum.
301 Namque te celsum meritis, in altum
302 culmen imponet pretiosa virtus :

303 inque viventum super urbe magnis
304 turribus addet.
305 Nos locis, quantum meritis dirempti,
306 eminus celsis humiles patronis,
307 te procul sacris socium catervis
308 suspiciemus.
309 Quis die nobis dabit hoc in illa,
310 ut tui stemus lateris sub umbra,
311 et tuae nobis requietis aura
312 temperet ignem ?
313 Tunc, precor, nostri nimium memento
314 et patris sancti gremio recumbens,
315 roscido nobis digito furentem
316 discute flammam.
317 Nunc abi felix tamen et recedens
318 semper huc ad nos animo recurre ;
319 esto nobiscum, licet ad paternam
320 veneris urbem.
321 Non enim unius populi magistrum,
322 sed nec unius dedit esse civem
323 te Deus terrae, patria ecce nostra
324 te sibi sumit.
325 Nunc tuos aequa pietate utrisque
326 divide affectus, et amore nobis,
327 civibus vultu, gemina morare
328 civis in ora.
329 Forsan et major patria haec habenda,
330 non manu factis ubi contineris
331 pectorum tectis ; hominesque vivam
332 incolis urbem.
333 Sicut antistes, ita dignus almi
334 hospes es Christi, quia Christianis
335 mentibus consors, habitas herile
336 accola templum.
337 Jam vale nobis, et in omne nostri
338 diligens aevum, bonus usque finem
339 duc bonum cursum, positamque justis
340 sume coronam.